

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

LXVIII.


CHARTA CLEMENTIS III. PONT. QUA SENTENTIAM
 EPISCOPI CONSTANT. DE JURE FUNDATIONIS TRIUM
 ECCLESIARUM DE CHILCHEIM, EIMUOTINGEN
 ET MATRA CONFIRMAT.

A N N O M C X C.

Ex Tabulario Collegiæ D. Petri Basil.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Algoto Lupolto & Theodrico de Chilcheim salutem & Apostolicam Benedictionem. Quotiens litigia super rebus ecclesiasticis orta ad legitimam discussionem deveniunt & in iudicio proposita diutius disceptationibus partium ventilata per diffinitivam sententiam mediante prelatorum discretione legitime sopiuntur, decens est atque conveniens ne iterum alicujus temeritate in contentionis scrupulum relabantur, sententias ipsas sedis apostolice auctoritate firmare. Cum autem super jure fundationis trium ecclesiarum de Chilcheim videlicet Eimuotingen & Matra inter vos & B. abbatem de Stein questio emerisset, vobis, quod intendebatis, legitima testium assertione probantibus, sententia fuit pro vobis legitime promulgata, quam bone memorie O. olim Constantiensis Episcopus confirmavit. Nos itaque eandem sententiam, sicut rationabiliter lata est nec legitima appellatione suspensa ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confir-

mationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursum. Datum Laterano VIII. Id. Februarii Pontificatus nostri anno tertio.



LXIX.

INNOCENTIUS III. PONT. HOSPITALE, TIGURI
A BERTOLDO V. ZARINGIÆ DUCE FUNDATUM, IN
PROTECTIONEM RECIPIT.

A N N O M C C V I I.

Ex Registro Innocentii III. de A. 7. Epist. 16.

Priori & fratribus hospitalis de Thuregum. Solet annuere &c. usque annuentes: personas & hospitale vestrum, quod dilectus filius nobilis vir *Dux Zeringie* pro suorum peccatorum remedio fabricavit, cum omnibus bonis que in presentiarum &c. usque communimus. Ad indicium autem protectionis a nobis obtente Aureum unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis.

Nulli ergo &c. Datum Laterani III. id. Maj. Anno VII.

Nota. Chartulam hanc, quæ nonnisi Summarium Chartæ est, cum aliis Pontificum Rom. Epistolis, suo loco insertis, Illustris GARAMPIUS, Tabularij in Vaticano Custos, præstantis doctrinæ Vir, nobis transmisit, postquam Zaringie Ducum Historia jam exierat prelo.